

CVNVALDVS GERMANORVM DVX.



Cvnualdus ille Gallorum & Germanorum  
rex fortissimus fuit. Itaq; Bonj Insubres eū in  
auxilium contra Romanos uocarunt, anno mūdi  
circiter 374. Is itaq; cum Ernesto duce maximas  
kopias ex suis collegit, & cum Viridomaro Boio-  
rum principe Tusciam ingressus, omnia longè la-  
teq; populatus est. Id cum Romæ annūtiatum es-  
set, magna trepidatio urbē inuasit. Itaq; primō de-  
os humanis sacrificijs placare statuerant, atq; pon-  
tificum iussu Gallum uirum cum duabus mulieri-  
bus in foro Boario uiuos defoderūt. Postea ex o-  
mnibus locis militem collegerunt, atq; duce Ae-  
milio & Attilio consulibus hosti obuiam processe  
runt. Tum quidem aliquoties uario Marte pugnatum est, atq; Cunuraldi uir-  
tute Galli cū fœderatis primō egregiè uicerūt. In ea etiā pugna Attilius alter  
consulum occisus est. Cum autem Cunuraldus suaderet, ut uictoria illa parta  
exercitus se se ad tutiora loca reciperet, atq; consilium illud negligeretur, Ro-  
mani uiribus undiq; auctis tandem superiores euaserunt. Oros. lib. 4. cap. 13.